

† Ego MICHAEL, *Episc. Pittsburgensis, definiens subscripsi.*

† Ego ANDREAS, *Episc. Petriculæ, definiens subscripsi.*

† Ego JOANNES, *Episc. Albanensis, definiens subscripsi.*

† Ego GULIELMUS, *Episc. Hartfordensis, definiens subscripsi.*

† Ego IGNATIUS ALOYSIUS, *Episc. Carolopolitanus, definiens subscripsi.*

† Ego JOANNES MARTINUS, *Episc. Milwauchensis, definiens subscripsi.*

† Ego JOANNES BERNARDUS, *Episc. Bostoniensis, definiens subscripsi.*

† Ego AMEDEUS, *Episc. Clevelandensis, definiens subscripsi.*

† Ego JOANNES, *Episc. Buffalensis, definiens subscripsi.*

† Ego MARTINUS JOHANNES, *Episc. Lengonensis, et Coadj. Epi Ludovicopolitani, definiens subscripsi.*

† Ego MAURITIUS, *Episc. Vincennensis, definiens subscripsi.*

† Ego JACOBUS OLIVARIUS, *Episc. Chicaginensis, definiens subscripsi.*



PETITIO

PRO NOVIS SEDIBUS ARCHIEPISCOPALIBUS ERIGENDIS.

BEATISSIME PATER,

ARCHIEPISCOPI et Episcopi Fœderatarum Septentrionalis Americae Provinciarum, in Concilio congregati, ad Sanctitatis Vestrae pedes provoluti, humiliter deprecantur ut infra memoratae Episcopales Sedes ad Metropolitanam dignitatem, quibus adsignentur Suffraganei mox recensendi, Apostolicâ auctoritate evehantur, nempe:

I. Sedes Neo-Aurelianensis, cui subjecti sint Episcopi Mobiliensis, Natchetensis, *Little-Rock* et Galvestonensis.

II. Sedes Cincinnatensis, quæ Suffraganeos habeat Episcopos Ludovicopolitanum, Detroitensem, Vincennensem et Clevelandensem.

III. Sedes Neo-Eboracensis, cujus Suffraganei sint Episcopi Bostoniensis, Hartfordensis, Albanensis et Buffalensis.

IV. Ut Ecclesiæ Metropolitanæ S. Ludovici Suffraganei adsignentur Episcopi Dubuquensis, Nashvillensis, Chicaginensis et Milwauchensis.*

V. Ut Sedes Metropolitana Baltimorensis Primatus honore gaudeat†, cui Sedes omnes, tam Metro-

* Ex Sedibus Episcopalibus auctoritate Apostolicâ nuper erectis, Savannahensis et Wheelingensis ad Provinciam Baltimorensis pertinent; nova autem Ecclesia in Civitate S. Pauli de Minnesotâ constituta, Provinciæ S. Ludovici subjacet. De Ecclesiæ *Monterey*, in Californiâ, Suffragii jure nihil est immutatum.

† Quod ad Primatum attinet, S. Congregatio de Propagandâ Fide rescipit nil adhuc hac de re fuisse constitutum, ac responsionem visam fuisse differendam.

politanae quam Episcopales in Fœderatis Americae Septentrionalis Statibus et Territoriis, subjaceant: cujus Suffraganei erunt Episcopi Philadelphiensis, Carolopolitanus, Richmondensis et Pittsburgensis. Baltimori, die 13 Maii 1849.

EPISTOLA

PATRUM CONCILII AD SUMMUM PONTIFICEM.

BEATISSIMO PATRI NOSTRO

PIO, DIVINA PROVIDENTIA, PAPÆ IX.

BEATISSIME PATER,

EX omnibus vastæ hujus regionis plagis in unum congregati, de iis deliberaturi quæ religionis progressum fovere vel confirmare possint, Deo imprimis gratias agimus pro tot ac tantis in nos Ecclesiasque nostras collatis beneficiis, quibus factum est ut et veræ religionis cognitio et pietas magis magisque in dies undique diffusæ sint.

Cùm autem convenimus, iis incumbentes quæ Ecclesiarum nostrarum necessitates flagitant, oculos in Te, BEATISSIME PATER, Te columnen decusque nostrum, ab ipso rerum exordio intendimus; Te patrem et magistrum diligimus et veneramur; in periculis præsidium, in dubiis lumen, à Te qui universalis Ecclesiæ et pastor et doctor existis, expectamus. Quæ ergo decrevimus, Tibi et iudicio tuo subjicimus, ut quæ in iis recta sunt confirmes, quæ deficiunt suppleas, si quæ minus accuratè ad canonum normam proposita

corrigas, et omnia conspirent ad nos Fidelesque nobis commissos in unum corpus Christi majori firmitate ædificandos, et Spiritus Domini magis magisque vim suam et vitam diffundat.

Ast quantus, heu! dolor animos nostros oppressit, cùm Te jam exulare, et libertatem, si non ipsam vitam, fugâ servare coactum meminimus, cùm ab omnibus animi grati tributum et amoris flagrantissimi sensus Tibi proferre gestiendum fuisset.

Nos ipsi et Fideles nostri, imò omnes hujus regionis incolæ, mirati sumus benignitatem, clementiam et sapientiam, quarum ab ipso pontificatus tui initio tam luculenta argumenta exhibuisti. Omnibus videre licuit, sicut et prioribus sæculis, ita et nunc quoque in maximis periculis Petri Sedem firmissimum societatis humanæ præsidium et auxilium existere. Firmitas enim illa, quam Christus Dominus Ecclesiæ supra Petrum tanquam immobile fundamentum innixæ concessit, iis etiam humanis institutis cum quibus conjuncta existit aliquo modo communicari videtur. Sapientia pariter illa, quam Spiritus Domini in Ecclesiâ semper manens iis ingerit per quos corpus Christi regitur, radios suos undique emittit, et cùm alia obscura fiunt, tanquam lux lucens in caliginoso loco errantes in portum reducit.

Tu, BEATISSIME PATER, inter principes primus, nullo cogente, sed proprio motu, ea concessisti instituta quæ, quamvis supremi gubernantis auctoritatem aliquantulum minuant, tempestate nostrâ necessaria videbantur. Planè ostendisti quantus et quam sincerus populorum amor in corde sacerdotali Pontificis ardeat, et telum eripuisti impiis qui patriæ amorem apud eos tantum existere clamitabant, qui religionem et sacerdotium spernerent.

O utinam, Te duce, Te magistro, pro patriâ labores suos exantlassent illi, qui populorum amorem prætexebant! Tu religione, pietate, justitiâ actus, non vana sequens consilia, ea disponebas quæ absque dubio in bonum reipublicæ vertissent. Religionis autem osores, alia cogitantes, parricidas manus à Te vinculis solutas contra Te levare, atrocibus minis cor tuum terrere conari, et in ipso palatio tuo unctorum Domini sanguinem fundere non sunt veriti. Quamvis ergo amorem adhuc pro Te simularent, non sumus mirati Te apud alios incolumitatem quæsisisse quam filii ingrati denegabant.

Dolor Tibi ex his ortus noster quoque dolor est. Cor dilecti patris ferri nequit, quin filii quoque per orbem diffusi vulnus persentiant. Ex corde ergo intimo Tecum dolemus, et brevi fore confidimus ut, universo orbe plaudente, juribus Sedis tuæ vindictis, in pristinam securitatem restituaris.

Dum autem cœlestia bona et supernas divitias ubique terrarum largiris, si ex animorum nostrorum et Fidelium hujus regionis sensibus judicium ferre licet, et honori et gaudio omnibus foret temporale subsidium, si opus esset, ad pedes Sanctitatis Tuæ projicere, et officia quæ Urbs ingrata denegat, orbis lætabundus tribueret.

Ut autem Apostolicam tuam benedictionem nobis, Ecclesiisque nostris concedas, eâ quâ par est reverentiâ humiliter petimus.

Baltimore, die 13 Maii 1849.

EPISTOLA

AD SOCIETATEM LEOPOLDINAM.

Excellentissimo Principi VINCENTIO ODOARDO MILDE, Vindobonensi Archiepiscopo, Leopoldinæ Institutionis dignissimo Præsidi, ceterisque sapientissimis ejusdem Institutionis Moderatoribus, atque universis per Austriacas ditiones Sociis munificentissimis; Archiepiscopi et Episcopi in Concilio Baltimorensi Provinciali Septimo congregati, salutem et gratias plurimas.

DONA quæ plurimis abhinc annis, ex piæ Institutionis Leopoldinæ munificentia, sub auspiciis Amplitudinis tuæ ceterorumque Moderatorum, nobis transmissa fuerunt ad excolendam hanc novam vineæ Domini partem, magno quidem auxilio Americanam Ecclesiam juverunt, nec mediocrem consolationem percepimus ex uberrimis fructibus spiritualibus qui singulis annis inde exorti sunt, ad majorem Dei gloriam, atque salutem animarum quarum cura nobis est divinitus commissa.

Non immeritò igitur timor mentes nostras nuper subiit, ne calamitates publicæ et dissidia quæ, inscrutabili Dei judicio, omnes ferè Christiani orbis partes, præsertim verò Austriacum Imperium conturbaverunt, hujus quoque piæ Institutionis fundamenta, cum magno nostrarum Missionum damno, quaterent, aut etiam funditus everterent. Quapropter, memores, ut par erat, tot et tantorum beneficiorum in nos collatorum, non destitimus Deum optimum, Patrem misericordiarum, multis precibus obsecrare ut illos

ingentes procellarum fructus componere, pacemque desideratam, unâ cum omnibus cœlestibus fructibus, largiri dignaretur; unde fieret ut omnes populi Christiani in Germaniâ, et ubique terrarum, tranquillam vitam agere, liberisque mentibus Domino deservire valerent. Has quidem nostras preces non omninò inanes fuisse confidimus: nam licèt violentissimæ illæ tempestates nondùm prorsùs resederint, vestra tamen Leopoldina Institutio, omni laude digna, post breve temporis intervallum, bonum suum opus iterùm aggredi et persequi, mirâ omnium admiratione et gaudio, decrevit. Profectò id certum est verè Christianæ charitatis pignus atque indicium, necnon et ardentis pro majore Dei gloriâ studii, quòd fratres nostri, inter tam multas ærumnas, nos et missiones nostras meminerint. Nos quoque vicissim illos, ut potè benefactores nostros, magno amore prosequimur, et tam teneris fraternæ charitatis affectibus complectimur, ut eorum mala tanquàm nostra doleamus, et sine intermissione divinam misericordiam ad subsidium opportunum obtinendum imploremus.

Interea, ad mutuam nostram consolationem, dicere mihi liceat majorem singulis annis spem effulgere quòd sanctissima fides nostra magis ac magis sit propaganda, veraque Dei Ecclesia in hisce regionibus stabilienda. Quotquot enim ad hoc Concilium celebrandum hic convenerunt, unâ voce testificantur quàm copiosos fructus divina gratia jam in diversis hujus regionis Provinciis operata sit. Sed quamvis multa jam effecta sint, negari non potest plura adhuc superesse peragenda; novas scilicet diœceses erigendas, veteres augendas et confirmandas, novas ecclesias multis in locis ædificandas, Seminaria, Collegia et scholas pro piâ juventutis educatione, insti-

tuenda. Zelo igitur et pietate confisi tum dignissimi Præsidis, ceterorumque sapientissimorum Moderatorum, tum Sociorum omnium hujus tam eximiæ Institutionis, speramus fore ut, quemadmodum hucusque fuerunt, sic per multos adhuc annos futuri sint benefactores nostrarum diœcesum, et divinæ Providentiæ erga nos beneficiorum dispensatores.

Baltimore, die 13 Maii 1849.

EPISTOLA

S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE AD ARCHIEPISCOPUM BALTIMORENSEM.

ILLMÈ AC REVME DOMINE,

SUPERVACANEUM arbitror immorari in causis enarrandis, ab quas tamdiù judicium de Concilio superiori anno habito fuerit dilatatum: id enim ex gravissimâ tempestate quæ Romanam Ecclesiam afflixit repetendum Amplitudo tua ceterique Episcopi probè noscunt. Cùm verò S. Congregationi conventus de more suos iterùm celebrare licuit, curam adhibui ut de rebus in Synodo gestis, quamprimum negotiorum moles permitteret, deliberatio institueretur. Accipe itaque S. Congregationis decretum à SSmo Dño Nostro probatum, quo Acta et Decreta prædicti Concilii VII Baltimorensis probantur et confirmantur: peculiari verò instructione ea declarare necesse fuit, quæ super iisdem Decretis animadvertenda visa sunt.

Erectio novarum Provinciarum, cum designatione Suffraganeorum tam pro novis Sedibus Archiepis-

copalibus quàm pro Archiepiscopali Sede S. Ludovici jam antea erectâ, prout Episcopi suggererant ac postulabant*, ex voto S. Congregationis, à SSmo Dño Nostro probata est, ac litteræ Apostolicæ Metropolitæ traduntur.

Constitutæ pariter novæ Ecclesiæ in Savannahensi, Wheelingensi, ac S. Pauli de Minnesotâ Civitatibus†: cumque duæ priores Ecclesiæ ad istam Baltimoreensem Provinciam pertineant, documenta Amplitudini tuæ traduntur, ut ad electos Episcopos perferenda cures. Idem verò censui præstandum de aliis litteris quæ respiciunt erectionem novorum Vicariatuum Apostolicorum, ut ad electos Antistites tutò perveniant.‡

Ad Provinciam pariter istam pertinent Episcopi Richmondensis, Pittsburgensis et Philadelphensis: proinde litteras Apostolicas quibus presbyter JOANNES MCGILL Episcopus Richmondensis constituitur, necnon decretum quo limites diœcesium Pittsburgensis et Philadelphensis aliâ ratione, ex voto An-

* Vide suprâ, 281.

† Diœcesis Savannahensis continet Statum Georgiæ et Floridam usque ad flumen Appalachicolam.

Diœcesis Wheelingensis constat ex omni illâ parte Statûs Virginie, quæ ultra montes Alleghanios Occidentem versûs jacet, incipiens à Comitatu *Randolph*, unâ cum Comitatibus *Pocahontas*, *Greenbrier*, *Monroe*, *Giles*, *Montgomery* et *Floyd*, usque ad Comitatum *Carroll* inclusivè.

Diœcesis Richmondensis efformatur ex reliquâ parte Statûs Virginie. Sedes Episcopalis S. Pauli de *Minnesota*, suâ ditione comprehendit Territorium *Minnesota*.

‡ Savannahensis Episcopus electus est Rev. D. FRANCISCUS X. GARTLAND; Hartfordensis autem, Rev. D. BERNARDUS O'REILLY. Revmus D. R. V. WHELAN ab Ecclesiâ Richmondensi ad Wheelingensem, suo rogatu, translatus est. Sedes Episcopalis S. Pauli de Minnesotâ Rev. D. JOSEPHO CRETIN collata est. Tandem Rev. D. JOANNES LAMY ad Vicariatuum Apostolicum *Santa-Fè*, in Territorio Mexicano, promotus est, Episcopali consecratione decorandus.

tistitum designantur, pariter Amplitudini tuæ tradendas duxi.

Quod demùm pertinet ad Ecclesiam de *Monterey* in Californiâ, jam certè innotuit novum illius Episcopum, R. P. D. JOSEPHUM SADOE ALEMANY, Romæ consecrationem Episcopalem suscepisse: idem verò jam hinc est profectus ut suam petat Ecclesiam, de cujus suffragii jure nil est immutatum.

Superest ut Amplitudini tuæ singulare præbeam approbationis testimonium ob ea quæ pro Religionis incremento in Synodo gesta sunt. Si enim eo nomine omnes generatim Antistites qui participes illius extiterunt, commendandi videntur; tuâ certè imprimis operâ factum existimo ut, privatis studiis sepositis, maxima animorum consensio extiterit, atque utiliora pro Ecclesiâ Dei consilia omnibus facilè probata extiterint. Precor interim Deum ut te diù sospitem incolumemque servet.

Romæ, ex Ædibus S. Congregationis de Propag. Fide, die 9 Augusti 1850.

J. PH. CARD. FRANSONI, *Præfectus*.

AL. BARNABO, à *Secretis*.

DECRETUM

S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE, PRO ACTORUM ET DECRETORUM CONCILII VII APPROBATIONE.

CUM R. P. D. SAMUEL ECCLESTON, Archiepiscopus Baltimorensis, et Episcopi Fœderatorum Statuum Americæ Septentrionalis, Acta et Decreta Concilii VII Provincialis Baltimorensis SSmo Dño

Nostro exhibenda curaverint, Eumque obsecraverint ut probare et confirmare eadem dignaretur; S. Congregatio de Propagandâ Fide, in generali conventu die decimâ Junii anni hujus habito, referente infrascripto ejusdem Præfecto, omnibus maturè perpensis, censuit commendandam esse supradicti Archiepiscopi, necnon aliorum Præsulum agendi rationem, quâ unanimi studio pro Religionis incremento, atque Ecclesiasticâ disciplinâ meliùs in dies per illam regionem firmandâ adlaborarunt; decrevit insuper supplicandum Sanctitati Suæ, ut illorum precibus annuens, Decreta de quibus agitur, juxta instructionem per S. Congregationem tradendam, confirmare dignaretur. Hanc autem S. Congregationis sententiam SSm̃o Dño Nostro relatam ab infrascripto pariter ejusdem Secretario, in audientiâ diei 16 ejusdem mensis, Sanctitas Sua benignè in omnibus probavit, et memorata Decreta ad normam supradictæ instructionis auctoritate suâ probavit, atque in diœcesibus Fœderatorum Statuum Americæ Septentrionalis servari jussit.

Datum Romæ, ex Ædibus S. Congregationis de Propagandâ Fide, die 10 Augusti 1850.

J. PH. CARD. FRANSONI, Præf.
AL. BARNABO, à Secretis.

DECRETUM

CIRCA EPISCOPORUM ELECTIONEM.

S. Congregatio de Propag. Fide, die 14 Junii anni 1834, decretum edidit, quod incipit, *Cum ad Religionis incrementum*; inscribitur verò, *De methodo servandâ in Episcoporum Diœcesum Fœdera-*

tarum Americæ Septentrionalis Provinciarum electione. (Suprà, 117.) Cùm verò deinde, Deo favente, Diœcesium numero per illam regionem aucto, Ecclesias, quæ antea uni Metropolitæ suberant, inter plures partiri necesse fuerit, aliquid supradicto decreto, seu instructioni, addendum visum est, ut commendatio Sacerdotum pro vacantibus Ecclesiis eâ ratione fiat, quæ cum novâ illarum partitione, ac Provinciarum statu cohæreat. Proinde S. Congregatio, in generali conventu die 10 mensis Junii anni hujus habito, referente infrascripto ejusdem Præfecto, omnibus maturè perpensis, ratione quoque habitâ voti eâ de re ab Episcopis exhibiti ex Concilio VII Baltimorensi, decrevit ut in posterum, servatis quoad reliqua iis quæ in supradicto decreto continentur, Archiepiscopus Provinciæ, ad quam pertinet Ecclesia de novo Pastore providenda, commendationem Sacerdotum qui proponuntur, ad ceteros Archiepiscopos transmittat, qui S. Sedi suam sententiam de Sacerdotibus sic commendatis aperient.

Datum Romæ, ex Ædibus S. Congregationis de Propag. Fide, die 10 Augusti 1850.

J. PH. CARD. FRANSONI, Præf.
AL. BARNABO, à Secretis.

DECRETUM

S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE CIRCA PHILADELPHIENSIS ET PITTSBURGENSIS DIÆCESEON FINES.

ANTISTITES Pittsburgensis et Philadelphensis exposuerunt, in assignandis limitibus diœcesis Pittsburgensis, Pennsylvaniam Occidentalem ejus